

BOLETIN ECLESIASTICO DE FILIPINAS

Vol. XXXIV

No. 387



Septiembre

1 9 6 0

SUMARIO

ID Y . . . ESCRIBID	525
S. PONT. ALLOCUTIO: Sacerdos et Pastor	527
LITTERAE APOSTOLICAE Motu Proprio Datae Quibus Novum Rubricarum Breviarii et Missalis Romani Corpus Approbatur	540
COMMISSION OF BISHOPS FOR THE INTERPRETATION OF THE DECREES OF THE PLENARY COUNCIL	543
New Appointments Released from the Archdiocesan Chancery of Cebu	544
De Obligatione Fidei per Orbem Propagandae, G. VROMANT, C.I.C.M. . .	545
Religious Life of the Laity in Eighteenth Century Philippines, Sister M. Caridad BARRION, O.S.B.	552
Homilética: Domingos XVII y XVIII después de Pentecostés, Fr. V. VICENTE, O.P.; Domingos XIX y XX después de Pentecostés, Fr. A. Robezo, O.P.	566
Casos y Consultas: Restitución pro rata de los Ingresos, Fr. A. SANTA-MARIA, O.P.; De Missis Postmeridianis Occasione Nuptiarum vel Funerum, Fr. V. VICENTE, O.P.	580
BIBLIOGRAFIA	588

BOLETIN ECLESIASTICO DE FILIPINAS

ORGANO OFICIAL INTERDIOCESANO EDITADO MENSUALMENTE
POR LA UNIVERSIDAD DE SANTO TOMAS, MANILA, FILIPINAS.

Registrado como correspondencia de 2ª clase el 21 de Junio de 1946.

R. P. EXCELSO GARCÍA, O.P.
Director

R. P. FLORENCIO TESTERA, O.P.
Administrador

Dirección Postal: Universidad de Sto. Tomás — España, Manila, Filipinas

Vol. XXXIV—No. 387 Septiembre, 1960

Año XXXVIII

¡D Y . . . ESCRIBID!

EN JULIO pasado se reunían en Santander delegados de la Prensa Católica de todo el mundo. Tras éxitos y representaciones y recomendaciones se vislumbraba un punto oscuro: lo que pudieramos llamar "anemia de la Prensa Católica" en ciertos sectores.

Y no es ningún secreto que entre nosotros la Prensa Católica no rebosa vitalidad. El público no la sigue con interés; no se compra sino a fuerza de campañas.

No es cuestión de lamentarse, ni de hacer recomendaciones, ni ordenar "colectas". Es mejor decirnos las cosas como son.

Porque la Prensa Católica que cree en Dios, que sabe lo que son los hombres y lo que es la vida; que cuenta con el saber y la experiencia de siglos, que está respaldada por una autoridad doctrinal divina; que vive los más íntimos vaivenes del alma humana, por naturaleza no puede ser anémica para el mundo perturbado y desorientado nuestro. Sólo podrá serlo cuando no tenga conciencia de su misión, o cuando teniéndola no la siga.

Y de hecho, ¿se enfrenta la Prensa Católica nuestra y de otros países con los problemas vitales de hoy? ¿Da sus puntos de vista con saber y valentía, con gracia y bien decir? ¿Se interesa por la vida real de las comunidades nacionales y cívicas que son su medio? Sociedad, cultura, arte, industria, comercio, deportes ¿tienen en ella el puesto de interés que tienen en el mundo humano que Dios creó y que Dios rige?

No sería exceso el decir que lo que falta a la prensa católica es el sacerdote. Porque no hay, dada la constitución social y

jerárquica de la Iglesia, vida católica que sea fecunda y activa, sin la participación activa y fecundante del sacerdote.

Se busca hoy en la prensa la solución de los problemas candentes del saber y del vivir. El sacerdote católico por los estudios largos y profundos de su carrera, por sus contactos con la antigüedad, está inmensamente más capacitado para resolverlos que la generalidad de los periodistas poseedores de cursos breves y no muy seguros de Filosofía. Y ¿quién sabe las miserias y exquisiteces del corazón humano mejor que el sacerdote ante quien las almas se despliegan sedientas de consuelo y de luz? Y ¿quién puede estar más al tanto de las glorias, de las alegrías, de los casos y cosas, de los intereses y peligros de las poblaciones en que viven, que el sacerdote ante quien se abren de ordinario todas las puertas?

La venta forzada de un papel que lleva listas de cofradías, extractos de sermones, noticias de congregaciones religiosas, pagará la edición . . . a lo sumo. La demanda pública, el agotarse las ediciones viene sólo cuando en las páginas palpita el saber, el interés, la vida esa que se vive, en llamaradas de bien decir.

Es precisamente la vida que podemos y debemos dar a nuestros escritos — dejemos aparte nuestros sermones — los sacerdotes católicos.

La solución de la crisis de la Prensa Católica, allí donde languidece anémica, es que los escritores católicos se adentren en la vida dirigidos, iluminados, arrastrados, no sólo por la dirección external y la ayuda doctrinal, sino, y sobre todo, por la valentía y el ejemplo bueno de sacerdotes escritores.

¿No haríamos más y mejor por la Prensa Católica escribiendo un artículo sobre el hambre que amenaza al barrio en que vivimos, en vez de preparar un sermón sobre la "colecta en favor de la prensa"?

En este mundo de hoy que lee más que escucha y atiende la misión de nuestro Redentor: "Id y predicad" debiera repercutir en las almas verdaderamente sacerdotales con el eco: "Id y escribid".

Fr. J. M., O.P.

SUMMI PONTIFICIS ALLOCUTIO
DIE XXVI IANUarii A.D. MCMLX HABITA
IN TERTIA ROMANAE SYNODI SESSIONE

SACERDOS ET PASTOR

Venerabiles Fratres ac dilecti filii,

CATHOLICUS sacerdos hoc sibi peculiare habet, ut in pastorale munus obeundum incumbat. Quilibet sacrorum administer, ut probe nostis, christianus est, sed non solummodo christianus; recte enim ei haec sententia tribuitur: *christianus sibi; sacerdos aliis*.

Non ii tantum, qui sacerdotali dignitate fruuntur, ut patet omnibus, ad sanctitatem adipiscendam vocantur. Etenim etiam e laicorum ordine non pauci lectissimi viri ac mulieres habentur, qui divina gratia enutriti, etsi per commune vitae iter gradiuntur, ob eximiam tamen excelsamque virtutem, admiratione, imitatione venerationeque a populo honorati sunt, et ab Ecclesia ut sancti caelites probati et conclamati.

In sacerdotalem autem ordinem nemo cooptari potest, qui peculiari supernoque instinctu ad hoc munus vocatus non sit, et ad extraordinarium suscipiendum Dei mandatum, qui suis electis edicit: «Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech».¹ Apostolus Paulus in sua ad Hebraeos epistula eloquio incomparabili ad miram celsitudinem novum sacerdotium extollit, Christi nempe sacerdotium cuius virtus et dignitas quodam modo impertiuntur sacro administro, cui haec verba tribuuntur: «Ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis».²

Ut aeternam hominibus procuraret salutem Dei Verbum

¹ Ps. 109, 5.

² Hebr. 5, 1.

«caro factum est»;³ atque idem Dei Filius praefinito tempore a Patre «cum hominibus conversatus est».⁴ Ut suam autem misericordiam ob innumeras miseras nostras magis nobis ostenderet, «et ipse circumdatus est infirmitate»⁵ omnibusque miseriis nostris absque peccato.⁶ Atque caelestis doctrinae magister non modo exsistens, sed incomparabilis etiam patientiae in acerrimis vitae doloribus tolerandis, crucis patibulum libens ascendit; unde semet ipsum Divino Patri holocaustum obtulit, nosque suae gratiae heredes constituit, ut suis ipsius vestigiis insistentes, nos quoque *pro peccatis et ad redemptionem totius* offerremus nosmet ipsos quasi sacrificium ad salutiferum suum consummandum opus.⁷

Sacerdotes igitur cum primi electi sint heredes Iesu Christi gratiae, magisterii ac sacrificii, hodie quoque, post fere duo milia annorum, impertitis muneribus honoribus ac privilegiis, omne per aevum perpetuandis, utuntur. Quamobrem celsissimi huius honoris et beneficii perennitate nos quoque fruimur; reclinata igitur ad humum usque fronte, immortales Deo grates agamus.

Ac praeterea intento consideremus animo, Iesum Christum, Divinum Magistrum, cum mortalis suae vitae aequalibus traderet praecepta, imaginibus usum esse simplicibus quidem, sed audientium mentes allicientibus; et cum hoc modo loqueretur, divinos eius oculos, saeculorum cursum praetergredientes, ad futuram etiam Ecclesiam et ad universos populos, ad Regnum nempe suum, quod ex hac occidua aetate ad aeternitatem usque protenditur, procul dubio conversos esse. Haec autem imagines hisce verbis veluti effingebantur: *Ego sum vitis, vos palmites — Ego sum panis vitae — Ego sum via, veritas et vita — Ego sum lux mundi — Ego sum ostium ovium*.⁸

Harum autem imaginum series hac sententia veluti concluditur, quae pulcherrima omnium videtur, et quae ad eos peculiari modo pertinet, qui ad sanctissimum Redemptionis opus persequendum destinati sunt. Haec imago, quam sibi tribuit, hisce verbis exprimitur: *Ego sum Pastor bonus*.

Animadvertendum autem est has duas imagines, quae verbis enuntiantur: *Ego sum ostium ovium*, et *Ego sum Pastor bonus* inter se consociari, atque alteram quasi pari gradu consequi alteram in sermone Iesu; qui bis profert: *Ego sum ostium*, atque

³ Io. 1. 14.

⁴ Bar. 3, 38.

⁵ Hebr. 5, 2.

⁶ Cfr. *Ibid.* 15.

⁷ Cfr. Col. 1. 24.

⁸ Io. 15, 5; 6, 35; 14, 6; 8, 12; 10. 7.

bis itidem: *Ego sum Pastor ovium*;⁹ ita quidem ut videatur altera mutua quadam ratione alteri respondere.

Quae peculiaris nota Ioannem, familiarissimum eius, minime fugit. Ostium, ut ipse scribit, aperitur et clauditur ovibus, quarum ingressui et exitui pastor invigilat et moderatur.

Venerabiles Fratres ac dilecti filii! Nonne mysterium sacerdotalis muneris nostri hic declaratur? Nonne luce, quae a Divino manat Pastore, vultus cuiusque iuvenis levitae inaugurati perfunditur, cum ab altari, viam ingressurus quasi sub oculis Iesu Christi, qui ad ovium stat ostium, quo oves intrant et egrediuntur, eius nutui obtemperantes?

DE CLERO ROMANO AC DE VARIIS MUNERIBUS IPSI COMMISSIS

Nonne tu levita, fortasse humilium ac tenuium sed honoratorum parentum filius, nutui Iesu obsecutus, qui animum tuum permovit cum forte innocenti floreret aetatula, et ad sacram capessendam militiam te vocavit, sacerdos factus es? Nonne propterea, ut Iesu totus adhaereret et cum eo consociareris ad perficiendam propagationem spiritualis regni ipsius in terra? Quid ergo contigit tibi? Quomodo evenit, ut post prima sacerdotalis vitae experimenta alio mentem converteres quam ad salvandas animas, ad peculiare ministerium, propter quod sacerdotium est institutum, scilicet ideo conditum, ut pastoralis cura animis directo adhiberetur, regimen obiretur animarum?

Hic iam gravis existit quaestio ad clerum pertinens Romanum. Ecclesia catholica est veluti «castrorum acies ordinata»,¹⁰ ut regnum Dei quoquoersus propaget. Sacerdotium igitur variis gradibus ordinis ecclesiastici dispositum est, eo scilicet modo ut levitam presbyteratu recens initiatum ascendendo subsequatur adiutor sacrorum, hunc vero parochus, hunc Episcopus, et Romae, pro universali Ecclesia constitutus, Summus Pontifex. Res ita per gradus in Urbe compositae sunt quemadmodum omnibus locis, idque ad clerum saecularem pertinet ac regularem.

En quae reapse contingunt: eo quod Roma honore Urbis principis ac primariae fruitur, quatenus eo, ut ad sedem Summi Pontificis, nominis christiani Magistri Maximi, et moderationis universalis, totus refertur orbis terrarum, necessario varia ibi instituta coetusque ad operam disposite et egregie exsequendam

⁹ Io. 10, 7-9; 10, 11-14.

¹⁰ Can. 6, 3.

condita sunt et habentur; quae instituta plures sacerdotes ac multiplices vires eorundem vindicant sibi atque a ministerio pastoralis, quod vere proprieque dicitur, non pauca abstrahunt auxilia. Alliciunt sane multos munera ita abstrahentia atque saepe eos inducunt, ut communionem actionemque sacerdotalem, quibus animae directo attingantur, et actionem minus proximam, qua Ecclesiae Sanctae deserviat, inter se conentur componere; quae altera actio fit aut ecclesiasticam administrationem exercendo, bene, Deo donante, digestam, aut varia obeundo munera, quae quidem magni sunt ponderis, tamen, cum sacerdotem saeculo implicant, periculum inferunt, ne ardor et exercitatio studii pastoralis defervescent atque adeo certo et proximo fini, qui catholico sacerdotio propositus est, officiat.

Venerabiles Fratres ac dilecti filii: iam ergo gravem rerum veritatem contueamur. In Urbe Roma vicies centena fere milia animarum recensentur, quibus ducenti viginti sacerdotes saeculares ac trecenti septuaginta religiosi, hoc est, si universi numerantur, quingenti nonaginta, spiritualem curam pro munere impendunt; scilicet unus sacerdos pro ternis milibus fidelium et trecentis est constitutus.

Studii exercendi vel officii alicuius gerendi causa alii quoque sacerdotes Romae degunt, ac multi sane, qui omnes ad pastorale ministerium in animarum utilitatem directo exercendum vocati sunt.

Ecclesia vero, ut incrementis augeatur, ut Romae suo regi-
mini consulat, ut prosperos assequatur eventus, altioribus bonis inservientes et in toto terrarum orbe efficiendos, multiplici sacerdotum indiget numero, praeter ipsos Sacramentorum ministros. Ecclesia magno momento aestimare debet officium, quo — *ore et calamo* — traditur et impertitur caritas, imprimis caritas eaque vehemens, apostolica, latissime patens, secundum varias hodiernae vitae conditiones et praeceptum Dominicum: «euntes docete omnes gentes»,¹¹ eandem spem multam oportet possit habere repositam in variis familiis religiosis, quae cum clero saeculari operam sociant, in omnibus familiis religiosis, antiquitus vel recentiore aetate constitutis, sive virorum aut mulierum, sive caelestium rerum contemplationi deditis aut vitae actioni. Verumtamen universa haec, quae diximus, et alia plurima, quae iis addi possunt uberiusque explicari, traduci debent et converti ad fervidum ardorem vitae et studii pastoralis atque ad perutilem auxiliatricem operam curae animarum praebendam, quarum salus efficit, ut mysterium Incarnationis Verbi, Evangelium Crux

¹¹ *Matth.* 28, 19.

Christi, Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum, quo *Nobiscum Deus*, clara refulgeant luce, vi et significatione polleant, ac veluti triumpho ornentur honore.

Haec est enim Christi Ecclesia: hic vultus eius verus ac splendidissimus est; haec eius laus praecipua.

Hinc facile eruitur actionem pastorem *directam et indirectam* natura ipsa sua distingui, quamvis eadem actiones adiutricem sibi invicem ac veram propriamque operam praestare debeant sacro provehendo ministerio.

Contingit tamen — iis non modo qui iuventute adhuc fruuntur, sed iis etiam qui profecta sunt aetate — ideoque quod natura nostra humana est, non autem angelica, ideoque non est *sicut flamma ignis* semper parata ad Dei praeceptis obtemperandum, contingit dicimus ut inter ministerium directum et indirectum et adiutricem invicem praestandam operam, plures ad ministerium indirectum potius quam ad directum se dedant, atque prius minorem vim habeat, utraque vero pedetemptim languescant. Necesse igitur est ut nos singuli universi ea magis existimemus, quae magis coram Deo valeant ad praesentis vitae nostrae bonum procurandum et ad futuram felicitatem *in aeternum* assequenda.

Nos sacerdotes Excelsi omnes homines sumus, quos Deus singularibus privilegiis exornavit; attamen, donec Dominus permiserit nos hic degere suae addictos gloriae, sanctae Ecclesiae et christiano populo inservientes, monitum illud nobis tribuendum habemus *omnis caro foenum*,¹² de quo heri Beatissimus Petrus, primus Romanus Episcopus et Pastor universalis Ecclesiae locutus est.

Nobiscum considerantes magni pretii utilitates pastoralis muneris, sive directi, sive indirecti, quod Romae sacerdotes obire debent, incitamentum inde sumere rei consentaneum est, ut eligamus quod potius est et omnia probe recteque aestimemus.

Fortasse hoc suggestit antiquis Patriarchalis Vaticanae Basilicae magistris caerimoniarum decernere ut in sacro ritu, quo novus Summus Pontifex triplici diademate redimitur, comburenda stappa adhibeatur, quae «foenum» illud significanter in memoriam refert, de quo Apostolorum Princeps in sua epistula scribit.

Certo, quotiescumque de oboedientia non agitur sacerdotum praepositis praestanda, vel de nostra voluntate divino nutu conformanda, quam facile possunt sacrorum administri decipi, ad

¹² 1 Petr. 1, 24.

vitam pastorem sive directam sive indirectam quod attinet, in discernenda falsa specie a veritate!

Cum simplici et familiari sermone vos alloquamur, dilectissimi sacerdotes, qui in Romano episcopali munere explendo Nobis adiutricem operam navatis, liceat Nobis, ut intentos animos vestros oratione Nostra aliquando sublevemus, tres eventus memorare, qui in Vaticana Patriarchali Basilica vehementer animum Nostrum perculerunt.

Primus accidit vespere quodam mensis Ianuarii anno millesimo nongentesimo quinto, cum in Petriana Basilica sacer Beatiificationis ritus celebraretur. Templum rutilabat splendoribus; nobiles primores et multitudo hominum ovans et laetissima adstant; in celsae absidis curvamine, ubi est «Berniniana gloria» nitebat imago Beati Ioannis Baptistae Vianney, Arsienensis Curionis, macilento ore, vividis oculis caelestis felicitatis visione raptis, qui paulo post in Sanctorum album relatus est. Mirum eiusmodi spectaculum Nobis, sacerdotali potestate recens auctis ostendit, quid in sacerdotali vita certo valeret, quid maximum haberet momentum: neque unquam id a memoria nostra excidit.

Pluries oppidum, quod vulgo Ars appellatur, invisimus venerari mortales exuvias spectatissimi illius sanctitatis heròis, cuius aliquot ante mensibus pastorales virtutes Nosmet ipsi in christiani orbis pietatis exemplum laudibus extollere gavisi sumus per Encyclicas editas Litteras, quibus initium «Sacerdotii Nostri primordia».

Alter eventus contigit die nono mensis Augusti anno millesimo nongentesimo tertio: in Petriana Basilica novus Summus Antistes Pius X, triplici diademate redimendus erat. Cum sollemnis pontificalis pompa procederet, extemplo singulari modo commoti fuimus, utpote qui antea conspiciere soleremus raros in Templum ingressus Leonis XIII Summi Pontificis, qui, plusquam nonaginta annos natus, devexae aetati obnitens, ad salutandum ovantem populum eique bene precandum se erigebat.

Iosephus Sarto, qui a Tarvisino agro proficiscebatur, demisso animo, cogitabundo vultus aspectu erat. Certo momento temporis pompa constitit, ac ter resonante voce Praelati ter stupor urentis et haec verba proferentis: *sic transit gloria mundi*, conspexerunt omnes grave et maestum caput Summi Pontificis flecti, quasi nutans diceret: haec est grandis et austera Summi Pontificatus dignitas; magnificentia et externi honores parum valent. Quod interest, iter est boni pastoris, qui, post se linquens Tombulum, Saltianum, Tarvisium, Mantuam, Venetias, huc pervenit, ut maiores et anxiores caperet curas in custodia gregis

gerenda, in animis, quos Christus Sanguine suo redemit, nullo intermisso labore exquirendis.

Tertium, quod Nos vehementer commovit, contigit die quarto Novembris, duobus fere ante annis, cum humilis sacerdos et ipse olim agrorum alumnus, a Patriarchali Venetiarum sede, ubi in locum Sancti Pii X suffectus erat, suam vidit quasi transformatam figuram inter religiosi obsequii et ovantis multitudinis coruscationes et plausus. In illo exundanti animorum fervore etiam tunc stetit pompa, ut erigeretur calamus et implicita ei stuppa crepitans, prout sacer poscit ritus, combureretur.

Cum triplex resonaret monitum: *Pater sancte, sic transit gloria mundi*, numquam tam vivide et sincere aequae tunc ipse sensit exiguitatem suam, quae sine merito evehebatur.

Fatemur vobis, Fratres et filii dilectissimi, animum Nostrium placidam quietem iterum cepisse, cum pompa ad laevam se flexit et ad cenotaphium Pii VII — quasnam res gestas in mentem redigebat, quaenam animo insinuabat praecepta hoc visum! — aliquantulum constitit. Hoc sivit Nos prope conspiciere altare Sancti Gregorii Magni, quocum ecclesiastico scriptore a juvenilibus annis familiaritate quadam utimur, eumque singulari pietatis studio colimus.

Aliquid inopinatum sensimus, quod serenitatem Nobis attulit. Cum enim ad sepulcrum Sancti Petri, Apostolorum Principis, accederemus, animadvertimus sane aliquid, quod solatii plenum erat. Videbatur Nobis a Beatissimo Petro mitti, ut Nobis obviam iret et animum erigeret, unus ex perillustribus eius in Romana Cathedra successoribus, nempe Sanctus Gregorius Magnus. Hic Romanus Pontifex (590-604), qui inter Antistites magna virtute praeditos prorsus eminet, in vita quam gessit, in disciplina quam tradidit, eo contendit, ut natura sacra pastoralis ministerii omni sacerdoti Ecclesiae Dei praestantissima excelleret: idem enim *sive directe sive indirecte* participant, mera et sincera et fidei ratione, omnes sacerdotes Urbis, quin etiam et Orbis.

Catholicus clerus saeculi sexti Gregorio primo Pontifici Maximo acceptum refert Codicem pastoralis regiminis, qui post Christi Evangelium et Apostolorum Epistulas praecipuum obtinet pretium, ad animos sacerdotum sanctos efficiendos et ad fideles in evangelica via virtutum moderandos aptissimum.

De opere agitur, cui index *Regula Pastoralis S. Gregorii Magni*,¹³ quod parvae quidem molis est, sed famam et opinionem

¹³ Migne, PL, 77, 13-128.

assecutum est clarissimam apud cuiusvis temporis ecclesiasticos viros. Huius voluminis consuetudine iam fere abhinc quinquaginta annos utimur, atque eius lectio in omnibus vitae adiunctis semper Nobis oblectamentum suavissimum comparat. In eo praecepta traduntur, quibus Episcopi et sacerdotes universi adiscant *qualiter vivant et qualiter doceant*; immo veluti sacerdotalis perfectionis summa haberi potest a magno illo sanctoque Pontifice proposita, a qua clerus omnis utilissimas sumat cogitandi et agendi normas. Ingens illud instaurandae ecclesiasticae disciplinae opus, quod Ecclesia, Regum Carlovingorum aetate, suscepit, sane postulabat, ut quo tempore novis institutis ordinabatur civitatis status, ac postea quoque, non solum novae promulgarentur canonicae leges, non solum Liturgici Libri opportune recogniti ederentur atque emendata Sacrarum Scripturarum appareretur editio — quod quidem opera Alcuini peractum est — sed praesertim ut novae inirentur apostolatus rationes, ac multo magis rectae impertirentur normae de pastoralis regimine animarum obeundo ac de spirituali institutione iisdem tradenda; id autem, in commodum populorum totius Occidentis, iam praestiterat S. Gregorius Magnus, qui Francorum clerotum praemuniverat iter ad Ecclesiam stabiliter instaurandam. Post tot exacta saecula, adhuc nostra aetate resonat magni illius Pontificis vox, quae saluberrimis monitis tanti illius magisterii tantique exempli nos edocere non intermittit. Quam ad rem meminisse iuvat Decessorem Nostrum imm. recordationis S. Pius X, vix into Pontificatu, cum decimum tertium celebraretur expletum saeculum a S. Gregorii Magni obitu, anno millesimo nongentesimo quarto, per admirandas Encyclicas Litteras «Iucunda sane» magnis laudibus commendasse lectionem «Regulae Pastoralis», quandoquidem ibi «ad Cleri salubrem institutionem et ad sacrorum Antistitum regimen normae traduntur, non iis modo temporibus, sed etiam nostris aptissimae».¹⁴

Ad Ss. Patres Ecclesiae ritus Orientalis quod attinet, inter id genus scripta recensentur *II Oratio S. Gregorii Nazianzeni*¹⁵ et liber, cui index *De Sacerdotio*, auctore S. Ioanne Chrysostomo exaratus¹⁶ — o quam perplacet Nobis hodie huius sancti caelitis memoriam, in ipsius festo, recolere! —: quae quidem opera digna sane videntur, quae cum S. Gregorii Magni volumine, de quo diximus, comparentur.

Gemini hi praeclari Orientalis ritus Ecclesiae Doctores, cuius exuviae ad duo altaria Vaticanae Basilicae asservantur,

¹⁴ *Acta Pii X*, vol. I, 1905, p. 206.

¹⁵ *Migne*, PG, 35, 407-514.

¹⁶ *Migne*, PG, 48, 632-692.

magna cum dignitate ad inclitum hunc Romanum Pontificem adstare videntur, cuius cineres multo post in eadem Basilica sepulcro conditi sunt. Huic Pontifici profecto cognita fuit Nazianzeni oratio, de qua diximus, quandoquidem ipse ex hoc scripto mutuatus est vulgatissimum illum effatum: «Ars artium regimen animarum».

Nobis pergratum est dilectissimum Clerum Nostrum adhortari ut ad haec illimis doctrinae monumenta, quae primaeva protulit Ecclesia, libenter accedant, unde tam late patet prospectus in pastoralis ministerii campum, ad quem frugifere exercendum sapientissima traduntur praecepta.

Antequam autem tertii huius colloquii finem facimus, super no quodam instinctu permoveri videmur, ut sacerdotibus omnibus, qui in hac alma Urbe commorantur, paterna instantissimaque adhibeamus hortamenta: omnibus dicimus, et quidem nullo habito discrimine. Patet omnino officiorum diversitas, quae heic Romae singuli sacerdotes obeunt, ad munus quod attinet unicuique praecipue assignatum, cum alii in Romana Dioecesi, alii in Curia operam suam praestare debeant. Nihilominus omnes eiusdem sacerdotii vinculis coniunguntur, eodemque sacerdotio permoti omnes ad operandum moventur. Quae cum ita sint, manifestum est, iis, qui Romanae Curiae sunt addicti, minime licere muneris sui partes negligere aut eisdem minus idoneos evadere, ut pastoralis navitati se dedant, quae debitum excedat modum ac nimium virium dispendium expostulet. Sciant iidem, se concredit suis, maximi momenti, muneribus sedulo vacando, etsi procul a directa animarum cura, veri nominis tamen apostolatus opus peragere, quod minus gratum quidem interdum est, non minus vero Ecclesiae salutiferum, nec minore praemio afficiendum. Qui autem in pastorale ministerium incumbunt, sive praesunt sive adiutricem conferunt operam, quae ceteris semper exemplo esse debet, itemque impensa, iucunda, lenis ac facilis, ultro libenterque in demandata sibi animarum cura permaneant, ne se implicent profanis negotiis, caveant quidquid minus consentaneum videatur rectissimis illis sacerdotalis vitae moribus, quibus omnis sacerdos christifidelibus praelucere tenetur.

Ceterum pro utriusque ordinis ecclesiasticis viris vim habet, nullo facto discrimine, illud Tridentinae Synodi praescriptum¹⁷ de sacerdotali vita agenda; quod praescriptum instanter quidem urget atque infringi nullo modo potest; id autem non sine gravi causa decretum est, cum tanti momenti sit ac tam utile nobisque

¹⁷ Sess. XXII, *De reformat*, c. 1.

pergratum. Illa vero sententia «cunctis afferre venerationem» in rem deducta veluti peculiare insigne exstat, quo gloriosiores Ecclesiae aetates distinguuntur, atque, ut fore omnino confidimus, nunc et in posterum Romani cleri decus et ornamentum.

Inter innumera beneficia, quibus benignissimus Deus humilem personam Nostram augere ac veluti cumulare dignatus est, illud praecipuum pretiosissimumque recensemus, quod a pueritia usque ad provectam hanc aetatem Iesu Christi Divini Pastoris imago semper animum Nostrum suaviter ac vehementer allexit.

Id autem quasi certam Nobis spem inicit fore ut, cum ad Patrem redire necesse erit, tunc quoque eadem dulcissima imago Nobis affulgeat vel possit Nostrum terrenae «lucis . . . terminum» recreare. Cuius quidem Divini Pastoris suavitas, quali totum S. Ioannis Evangelii caput decimum perfunditur, tanta est, ut ei obsistere aut eadem se nolle conformare nemo possit suae aeternae salutis aeternaeque felicitatis discrimine.

«Amen, amen dico vobis, qui . . . intrat per ostium, pastor est ovium»¹⁸ Quibus verbis ostium quodammodo patefieri videtur ac per illud pastor intrare, qui universas suas cognoscit oves easque nomine vocat. O dilecti sacerdotes, qui paroeciale munus obitis! Si evangelica haec solacii plena verba in vos cadere vultis, sedulas adhibite curas christifidelium vestrorum rationario apparando ac semper diligenterque perficiendo; quod quidem magni momenti est ad paroeciae regimen recte moderandum. Oves libenter praeceuntem pastorem obsequuntur; eius enim praesentia tutas eas ac securas a quibusvis periculis reddit.

«Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur; et ingrediatur, et egredietur, et pascua inveniet . . . Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant»¹⁹ Consulto putamus dictiones severas omittere, quae suavis hisce verbis intermiscuntur; quae quidem ad ea pertinent, quae de mercenario pastore dicta sunt, de sacerdote scilicet, qui pastolarem paroeciae curam quidem suscepit, sed cum adventantem lupum videt ovibus insidias minaciter struentem, dormit vel fugit, non autem clamorem attollit, ut invadens lupus aliorum etiam collato auxilio propulsetur atque arceatur. Mercenarius enim pastor non suarum ovium caritate movetur, neque de iisdem sollicitus est.

Venerabiles Fratres ac dilecti filii, ut Nos experrecti simus animosque augeamus nostros, Divinus Redemptor iterum iterumque asseverat: *Ego sum Pastor bonus*. Haec repetita verba nos

¹⁸ *Io.* 10, 1-2.

¹⁹ *Ibid.* 10, 9-10.

alliciunt ac movent ut eius vestigiis animosi insistamus, atque nullis laboribus nullisque parcamus iacturis, eodem nempe modo, quo ipse Iesus, Pastor reapse bonus, Pastor vigilans, Pastor pius, e crucis patibulo pendens suam vitam pro nobis obtulit, atque per omne tempus in Eucharistia, maximo suae caritatis Sacramento, mystice offerre pergit.

PASTORALIS SOLLICITUDO PRO OMNIUM PROCURANDA SALUTE MISSIONALIS AFFLATUS

Peculiari modo animadvertendum est, sub illius parabola exitum, qua de bono Pastore agitur, Christum Iesum eadem iterare verba, Divinumque memorare Patrem, cuius luce suffusa mens nostra ad excelsa panditur et extollitur: «Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis . . . Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam». ²⁰ Ac denique huic boni Pastoris imagini Ipse, pictoris instar, extremam admovens manum, haec addit: «Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor» ²¹ Quali gaudio haec asseverantia verba Nos afficiunt, quibus futurus hic eventus clare affirmateque portenditur: «Vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus Pastor». ²²

Ex hac pagina veluti caelestis luminis radii eliciuntur, qui populos nondum christiano nomini adiunctos attingunt, et quasi praenuntiare videntur primos lucis fulgores proxime celebrandi Oecumenici Concilii, quod arcana quadam et anxia expectatione christianorum animos totius terrarum orbis vehementer iam permovet.

Quae quidem pagina peculiari modo ad eos pertinet, qui, sacerdotio aucti et hac in alma Urbe commorantes, Romani cleri nomine gloriantur, vel eidem adiutricem praestant operam; et qui pastoralementum animarum curam habentes Summo Pontifici, Romae Episcopo, directo inserviunt cum eodemque familiariter coniunguntur. Atque ad eos etiam singillatim pertinet, qui — sive Praesules sive inferioris ordinis Romanae Curiae officiales, in Sacris Congregationibus et in multiplicibus Institutis Religiosis, maioris vel minoris momenti negotia tractantes, ad universae Ecclesiae regimen spectantia — *sollicitudinem omnium Ecclesiarum* participant, qua Augustum Ecclesiae Caput, Summus nempe

²⁰ Io. 10, 14.

²¹ Ibid. 10, 16.

²² Ibid.

Pontifex et Christi Vicarius imprimis potissimumque afficitur. *Haec turba magna ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis*²³ luce circumfusa videtur e Iesu Christo manans, Divino Pastore ac Redemptore totius mundi.

PATERNI ANIMI SENSUS SACRO COLLEGIO
ROMANOQUE CLERO SIGNIFICANTUR

Dilectissimi Nobis Cardinales, vos suaviter commoto pater-
noque animo salutamus. Praeclara praesentia vestra et amabili
decore vestro, cuncto clero populoque Romano insigne pietatis
exemplum prae buistis. Vobiscum salutamus etiam Collegas ve-
tros, quos intemperies hiemis domi manere cohibuit de vale-
tudine sua, ut ratio poscebat, sollicitos. Aegritudo animi ob
coactam hanc absentiam ipsis in meritorum auctum cedit et causa
Nobis est caelestium auxiliorum, quibus indigemus.

Hic ecclesiasticus conventus, qui Romanae Diocesis prima
Synodus est, variis nominibus et causis, favente Deo, perquam
sollemnis evadit, cum agatur hac de Dioecesi, de prima scilicet
omnium Diocesium utpote Petri: fortasse in annalibus Catho-
licae Ecclesiae haec est absolutissima Synodus. Deo gratias,
Deo gloriam!

Venerabiles Fratres et dilecti filii!

Vix significare vobis possumus quantum spiritualis oble-
ctamenti et solacii hi coetus et haec paterna colloquia Nobis
attulerint. Haec, occasione data, iterare cupimus, ut Nostram
vobis declarem sollicitudinem, qua Patris animus arta co-
nungi necessitudine exoptat cum iis, qui in Romana Dioecesi,
pro suo cuiusque munere, pastoralis ministerii una simul par-
ticipes sunt.

Nostros igitur addamus animos. *Benedictus Dominus per
singulos dies. Portat onera nostra Deus salus nostra.* Iesu Boni
Pastoris imago semper oculis obversetur nostris, praesertim cum
Sancti Evangelii lectioni vacamus; ac nostros alat animos, eo-
dem fere modo quo Eucharisticum eius Corpus et Sanguis, utpote
vere cibus et vere potus, caelestis gratiae suppeditant alimoniam,
qua roborati ab erroribus et a peccatis liberamur, et ex qua,

²³ Cfr. *Apoc.* 7, 9.

in mediis etiam anxietatibus ac mortalis huius vitae malis, intimae illius laetitiae fons scatet, quae iure meritoque auspicium sit et quaedam inchoatio futurae gloriae: *Bone Pastor, panis vere — Iesu, nostri miserere — Tu nos pasce, nos tuere — Tu nos bona fac videre — In terra viventium.*²⁴

Amen, Amen!

²⁴ Sequent. S. Thomae Aq. in Festo Corp. Christi.

Daily Missal

(In Tagalog)

MISAL NA PANG-ARAW-ARAW

by

FR. E. GARCIA, O.P.

1916 pages, bible-book paper, the Ordinary of the Mass printed in two-colors, size 4 x 6 with Black Fabricoid cover Price: ₱14.50

NOVEL PUBLISHING CO., INC.

(U. S. T. PRESS)

España St., Manila, Philippines

Tel.: 3-73-47

Litterae Apostolicae

MOTU PROPRIO DATAE QUIBUS NOVUM RUBRICARUM BREVIARII ET MISSALIS ROMANI CORPUS APPROBATUR

RUBRICARUM INSTRUCTUM, quo publicus Ecclesiae cultus ordinatur ac regitur, Apostolica Sedes, inde praesertim a Synodo Tridentina, continenter studuit et pressius definire et perfectius ordinare. Pluribus itaque emendationibus, variationibus et additamentis decursu temporis introductis, totum rubricarum systema abunde succrevit, non semper vero systematico ordine servato, et non sine primitivae perspicuitatis ac simplicitatis detrimento.

Nil proinde mirum quod Decessor Noster, Pius XII, fel. rec., plurium Episcoporum precibus annuens, rubricas Breviarii ac Missalis romani in quibusdam ad simpliciorum formam esse redigendas censuerit, quod generali Decreto S. Rituum Congregationis diei 23 Martii anni 1955 fuit peractum.

Anno vero sequenti 1956, cum interim studia praeparatoria pro generali liturgica instauratione maturescerent, idem Decessor Noster Episcoporum mentem explorandam decrevit, circa Breviarii romani liturgicam emendationem. Episcoporum autem responsionibus mature perpensis, quaestionem de generali ac systematica rubricarum Breviarii ac Missalis emendationem aggrediendam esse censuit, eamque peculiari illae commisit vivorum peritorum Commissioni, cui generalis instaurationis liturgicae studia demandata fuerant.

Nos autem, postquam, adspirante Deo, Concilium Oecumenicum coadunandum esse decrevimus, quid circa huiusmodi Praedecessoris Nostri inceptum agendum foret, haud semel recogitavimus. Re itaque diu ac mature examinata, in sententiam devenimus, altiora principia, generalem liturgicam instaurationem respicientia, in proximo Concilio Oecumenico Patribus esse

proponenda; memoratam vero rubricarum Breviarii ac Missalis emendationem non esse protrahendam.

Harum itaque rubricarum Breviarii ac Missalis romani corpus, a peritis viris S. Rituum Congregationis praeparatum et a praefata Pontificia Commissione pro generali liturgica instauratione diligenter revisum, Nos ipsi, motu proprio et certa scientia, Apostolica Nostra Auctoritate, probandum censuimus, sequentia decernentes:

1o.—Novum rubricarum Breviarii ac Missalis romani codicem, per tres partes digestum, scilicet: *Rubricae generales, Rubricae generales Breviarii romani, et Rubricae generales Missalis romani*, una cum *Calendario Breviarii et Missalis romani*, a Sacra Nostra Rituum Congregatione mox evulgandum, inde a die 1 ianuarii proximi anni 1961, ab omnibus qui ritum romanum sequuntur, servandum esse praecipimus. Qui vero alium ritum latinum observant, quamprimum sive novo rubricarum codici, sive Calendario se conformare tenentur, in iis omnibus, quae illi ritui stricte propria non sunt.

2o.—Eodem die 1 ianuarii anni 1961 vigere cessant *Rubricae generales* Breviarii et Missalis romani, necnon *Additiones et Variationes* in rubricis Breviarii et Missalis romani, ad normam Bullae Praedecessoris Nostri S. Pii X *Divino afflatu*, quae hucusque his libris praepositae habentur. Pariter vigere cessat Decretum generale S.R.C. diei 23 martii anni 1955 *De rubricis ad simpliciores formam redigendis*, in hac nova rubricarum redactione assumptum. Abrogantur denique eiusdem S. Congregationis decreta et ad dubia responsiones, quae cum nova hac rubricarum forma non conveniunt.

3o.—Item statuta, privilegia, indulta et consuetudines cuiuscumque generis, etiam saecularia et immemorabilia, immo specialissima atque individua mentione digna, quae his rubricis obstant, revocantur.

4o.—Librorum liturgicorum editores, rite a S. Sede approbati et admissi, novas parare possunt editiones Breviarii et Missalis romani, iuxta novum rubricarum codicem dispositas; ad necessariam vero novarum editionum uniformitatem praecavendam, S. Rituum Congregatio peculiare tradat instructiones.

5o.—In novis Breviarii vel Missalis romani editionibus, omissis rubricarum textibus de quibus n. 2, novarum rubricarum textus praeponantur, Breviario quidem *Rubricae generales et Rubricae generales Breviarii romani*; Missali autem item *Rubricae generales et Rubricae generales Missalis romani*.

assecutum est clarissimam apud cuiusvis temporis ecclesiasticos viros. Huius voluminis consuetudine iam fere abhinc quinquaginta annos utimur, atque eius lectio in omnibus vitae adiunctis semper Nobis oblectamentum suavissimum comparat. In eo praecepta traduntur, quibus Episcopi et sacerdotes universi adiscant *qualiter vivant et qualiter doceant*; immo veluti sacerdotalis perfectionis summa haberi potest a magno illo sanctoque Pontifice proposita, a qua clerus omnis utilissimas sumat cogitandi et agendi normas. Ingens illud instaurandae ecclesiasticae disciplinae opus, quod Ecclesia, Regum Carlovingorum aetate, suscepit, sane postulabat, ut quo tempore novis institutis ordinabatur civitatis status, ac postea quoque, non solum novae promulgarentur canonicae leges, non solum Liturgici Libri opportune recogniti ederentur atque emendata Sacrarum Scripturarum appareretur editio — quod quidem opera Alcuini peractum est — sed praesertim ut novae inirentur apostolatus rationes, ac multo magis rectae impertirentur normae de pastoralis regimine animarum obeundo ac de spiritali institutione iisdem tradenda; id autem, in commodum populorum totius Occidentis, iam praestiterat S. Gregorius Magnus, qui Francorum clerotum praemuniverat iter ad Ecclesiam stabiliter instaurandam. Post tot exacta saecula, adhuc nostra aetate resonat magni illius Pontificis vox, quae saluberrimis monitis tanti illius magisterii tantique exempli nos edocere non intermittit. Quam ad rem meminisse iuvat Decessorem Nostrum imm. recordationis S. Pius X, vix into Pontificatu, cum decimum tertium celebraretur expletum saeculum a S. Gregorii Magni obitu, anno millesimo nongentesimo quarto, per admirandas Encyclicas Litteras «Iucunda sane» magnis laudibus commendasse lectionem «Regulae Pastoralis», quandoquidem ibi «ad Cleri salubrem institutionem et ad sacrorum Antistitum regimen normae traduntur, non iis modo temporibus, sed etiam nostris aptissimae».¹⁴

Ad Ss. Patres Ecclesiae ritus Orientalis quod attinet, inter id genus scripta recensentur *II Oratio S. Gregorii Nazianzeni*¹⁵ et liber, cui index *De Sacerdotio*, auctore S. Ioanne Chrysostomo exaratus¹⁶ — o quam perplacet Nobis hodie huius sancti caelitis memoriam, in ipsius festo, recolere! —: quae quidem opera digna sane videntur, quae cum S. Gregorii Magni volumine, de quo diximus, comparentur.

Gemini hi praeclari Orientalis ritus Ecclesiae Doctores, cuius exuviae ad duo altaria Vaticanae Basilicae asservantur,

¹⁴ *Acta Pii X*, vol. I, 1905, p. 206.

¹⁵ *Migne*, PG, 35, 407-514.

¹⁶ *Migne*, PG, 48, 632-692.

magna cum dignitate ad inelutum hunc Romanum Pontificem adstare videntur, cuius cineres multo post in eadem Basilica sepulcro conditi sunt. Huic Pontifici profecto cognita fuit Nazianzeni oratio, de qua diximus, quandoquidem ipse ex hoc scripto mutuatus est vulgatissimum illum effatum: «Ars artium regimen animarum».

Nobis pergratum est dilectissimum Clerum Nostrum adhortari ut ad haec illimis doctrinae monumenta, quae primaeva protulit Ecclesia, libenter accedant, unde tam late patet prospectus in pastoralis ministerii campum, ad quem frugifere exercendum sapientissima traduntur praecepta.

Antequam autem tertii huius colloquii finem facimus, super no quodam instinctu permoveri videmur, ut sacerdotibus omnibus, qui in hac alma Urbe commorantur, paterna instantissimaque adhibeamus hortamenta: omnibus dicimus, et quidem nullo habito discrimine. Patet omnino officiorum diversitas, quae heic Romae singuli sacerdotes obeunt, ad munus quod attinet unicuique praecipue assignatum, cum alii in Romana Dioecesi, alii in Curia operam suam praestare debeant. Nihilominus omnes eiusdem sacerdotii vinculis coniunguntur, eodemque sacerdotio permoti omnes ad operandum moventur. Quae cum ita sint, manifestum est, iis, qui Romanae Curiae sunt addicti, minime licere muneris sui partes negligere aut eisdem minus idoneos evadere, ut pastoralis navitati se dedant, quae debitum excedat modum ac nimium virium dispendium expostulet. Sciant iidem, se concredit suis, maximi momenti, muneribus sedulo vacando, etsi procul a directa animarum cura, veri nominis tamen apostolatus opus peragere, quod minus gratum quidem interdum est, non minus vero Ecclesiae salutiferum, nec minore praemio afficiendum. Qui autem in pastorale ministerium incumbunt, sive praesunt sive adiutricem conferunt operam, quae ceteris semper exemplo esse debet, itemque impensa, iucunda, lenis ac facilis, ultro libenterque in demandata sibi animarum cura permaneant, ne se implicent profanis negotiis, caveant quidquid minus consentaneum videatur rectissimis illis sacerdotalis vitae moribus, quibus omnis sacerdos christifidelibus praelucere tenetur.

Ceterum pro utriusque ordinis ecclesiasticis viris vim habet, nullo facto discrimine, illud Tridentinae Synodi praescriptum¹⁷ de sacerdotali vita agenda; quod praescriptum instanti quidem urget atque infringi nullo modo potest; id autem non sine gravi causa decretum est, cum tanti momenti sit ac tam utile nobisque

¹⁷ Sess. XXII, *De reformat*, c. 1.

pergratum. Illa vero sententia «cunctis afferre venerationem» in rem deducta veluti peculiare insigne exstat, quo gloriosiores Ecclesiae aetates distinguuntur, atque, ut fore omnino confidimus, nunc et in posterum Romani cleri decus et ornamentum.

Inter innumera beneficia, quibus benignissimus Deus humilem personam Nostram augere ac veluti cumulare dignatus est, illud praecipuum pretiosissimumque recensemus, quod a pueritia usque ad provectam hanc aetatem Iesu Christi Divini Pastoris imago semper animum Nostrum suaviter ac vehementer allexit.

Id autem quasi certam Nobis spem incit fore ut, cum ad Patrem redire necesse erit, tunc quoque eadem dulcissima imago Nobis affulgeat vel possit Nostrum terrenae «lucis . . . terminum» recreare. Cuius quidem Divini Pastoris suavitas, quali totum S. Ioannis Evangelii caput decimum perfunditur, tanta est, ut ei obsistere aut eadem se nolle conformare nemo possit suae aeternae salutis aeternaeque felicitatis discrimine.

«Amen, amen dico vobis, qui . . . intrat per ostium, pastor est ovium»¹⁸ Quibus verbis ostium quodammodo patefieri videtur ac per illud pastor intrare, qui universas suas cognoscit oves easque nomine vocat. O dilecti sacerdotes, qui paroeciale munus obitis! Si evangelica haec solacii plena verba in vos cadere vultis, sedulas adhibite curas christifidelium vestrorum rationario apparando ac semper diligenterque perficiendo; quod quidem magni momenti est ad paroeciae regimen recte moderandum. Oves libenter praeceuntem pastorem obsequuntur; eius enim praesentia tutas eas ac securas a quibusvis periculis reddit.

«Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet . . . Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant»¹⁹ Consulto putamus dictiones severas omittere, quae suavis hisce verbis intermiscuntur; quae quidem ad ea pertinent, quae de mercenario pastore dicta sunt, de sacerdote scilicet, qui pastolarem paroeciae curam quidem suscepit, sed cum adventantem lupum videt ovibus insidias minaciter struentem, dormit vel fugit, non autem clamorem attollit, ut invadens lupus aliorum etiam collato auxilio propulsetur atque arceatur. Mercenarius enim pastor non suarum ovium caritate movetur, neque de iisdem sollicitus est.

Venerabiles Fratres ac dilecti filii, ut Nos experrecti simus animosque augeamus nostros, Divinus Redemptor iterum iterumque asseverat: *Ego sum Pastor bonus*. Haec repetita verba nos

¹⁸ *Io.* 10, 1-2.

¹⁹ *Ibid.* 10, 9-10.

alliciunt ac monent ut eius vestigiis animosi insistamus, atque nullis laboribus nullisque parcamus iacturis, eodem nempe modo, quo ipse Iesus, Pastor reapse bonus, Pastor vigilans, Pastor pius, e crucis patibulo pendens suam vitam pro nobis obtulit, atque per omne tempus in Eucharistia, maximo suae caritatis Sacramento, mystice offerre pergit.

PASTORALIS SOLLICITUDO PRO OMNIUM PROCURANDA SALUTE MISSIONALIS AFFLATUS

Peculiari modo animadvertendum est, sub illius parabola exitum, qua de bono Pastore agitur, Christum Iesum eadem iterare verba, Divinumque memorare Patrem, cuius luce suffusa mens nostra ad excelsa panditur et extollitur: «Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis . . . Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam». ²⁰ Ac denique huic boni Pastoris imagini Ipse, pictoris instar, extremam admovens manum, haec addit: «Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor» ²¹ Quali gaudio haec asseverantia verba Nos afficiunt, quibus futurus hic eventus clare affirmateque portenditur: «Vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus Pastor». ²²

Ex hac pagina veluti caelestis luminis radii eliciuntur, qui populos nondum christiano nomini adiunctos attingunt, et quasi praenuntiare videntur primos lucis fulgores proxime celebrandi Oecumenici Concilii, quod arcana quadam et anxia expectatione christianorum animos totius terrarum orbis vehementer iam permovet.

Quae quidem pagina peculiari modo ad eos pertinet, qui, sacerdotio aucti et hac in alma Urbe commorantes, Romani cleri nomine gloriantur, vel eidem adiutricem praestant operam; et qui pastoralementem animarum curam habentes Summo Pontifici, Romae Episcopo, directo inserviunt cum eodemque familiariter coniunguntur. Atque ad eos etiam singillatim pertinet, qui — sive Praesules sive inferioris ordinis Romanae Curiae officiales, in Sacris Congregationibus et in multiplicibus Institutis Religiosis, maioris vel minoris momenti negotia tractantes, ad universae Ecclesiae regimen spectantia — *sollicitudinem omnium Ecclesiarum* participant, qua Augustum Ecclesiae Caput, Summus nempe

²⁰ Io. 10, 14.

²¹ Ibid. 10, 16.

²² Ibid.

Pontifex et Christi Vicarius imprimis potissimumque afficitur. *Haec turba magna ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis*²³ luce circumfusa videtur e Iesu Christo manans, Divino Pastore ac Redemptore totius mundi.

PATERNI ANIMI SENSUS SACRO COLLEGIO
ROMANOQUE CLERO SIGNIFICANTUR

Dilectissimi Nobis Cardinales, vos suaviter commoto pater-
noque animo salutamus. Praeclara praesentia vestra et amabili
decore vestro, cuncto clero populoque Romano insigne pietatis
exemplum praeuistis. Vobiscum salutamus etiam Collegas ve-
tros, quos intemperies hiemis domi manere cohibuit de valedi-
tudine sua, ut ratio poscebat, sollicitos. Aegritudo animi ob
coactam hanc absentiam ipsis in meritorum auctum cedit et causa
Nobis est caelestium auxiliorum, quibus indigemus.

Hic ecclesiasticus conventus, qui Romanae Diocesis prima
Synodus est, variis nominibus et causis, favente Deo, perquam
sollemnis evadit, cum agatur hac de Dioecesi, de prima scilicet
omnium Dioecesium utpote Petri: fortasse in annalibus Catho-
licae Ecclesiae haec est absolutissima Synodus. Deo gratias,
Deo gloriam!

Venerabiles Fratres et dilecti filii!

Vix significare vobis possumus quantum spiritualis oble-
ctamenti et solacii hi coetus et haec paterna colloquia Nobis
attulerint. Haec, occasione data, iterare cupimus, ut Nostram
vobis declaremus sollicitudinem, qua Patris animus arta co-
niungi necessitudine exoptat cum iis, qui in Romana Dioecesi,
pro suo cuiusque munere, pastoralis ministerii una simul par-
ticipes sunt.

Nostros igitur addamus animos. *Benedictus Dominus per
singulos dies. Portat onera nostra Deus salus nostra.* Iesu Boni
Pastoris imago semper oculis obversetur nostris, praesertim cum
Sancti Evangelii lectioni vacamus; ac nostros alat animos, eo-
dem fere modo quo Eucharisticum eius Corpus et Sanguis, utpote
vere cibus et vere potus, caelestis gratiae suppeditant alimoniam,
qua roborati ab erroribus et a peccatis liberamur, et ex qua,

²³ Cfr. *Apoc.* 7, 9.

in mediis etiam anxietatibus ac mortalis huius vitae malis, intimae illius laetitiae fons scatet, quae iure meritoque auspiciū sit et quaedam inchoatio futurae gloriae: *Bone Pastor, panis vere — Iesu, nostri miserere — Tu nos pasce, nos tuere — Tu nos bona fac videre — In terra viventium.*²⁴

Amen, Amen!

²⁴ Sequent. S. Thomae Aq. in Festo Corp. Christi.

Daily Missal

(In Tagalog)

MISAL NA PANG-ARAW-ARAW

by

FR. E. GARCIA, O.P.

1916 pages, bible-book paper, the Ordinary of the Mass printed in two-colors, size 4 x 6 with Black Fabricoid cover Price: ₱14.50

NOVEL PUBLISHING CO., INC.

(U. S. T. PRESS)

España St., Manila, Philippines

Tel.: 3-73-47

Litterae Apostolicae

MOTU PROPRIO DATÆ QUIBUS NOVUM RUBRICARUM BREVIARII ET MISSALIS ROMANI CORPUS APPROBATUR

RUBRICARUM INSTRUCTUM, quo publicus Ecclesiae cultus ordinatur ac regitur, Apostolica Sedes, inde praesertim a Synodo Tridentina, continenter studuit et pressius definire et perfectius ordinare. Pluribus itaque emendationibus, variationibus et additamentis decursu temporis introductis, totum rubricarum systema abunde succrevit, non semper vero systematico ordine servato, et non sine primitivae perspicuitatis ac simplicitatis detrimento.

Nil proinde mirum quod Decessor Noster, Pius XII, fel. rec., plurium Episcoporum precibus annuens, rubricas Breviarii ac Missalis romani in quibusdam ad simpliciorum formam esse redigendas censuerit, quod generali Decreto S. Rituum Congregationis diei 23 Martii anni 1955 fuit peractum.

Anno vero sequenti 1956, cum interim studia praeparatoria pro generali liturgica instauratione maturescerent, idem Decessor Noster Episcoporum mentem explorandam decrevit, circa Breviarii romani liturgicam emendationem. Episcoporum autem responsionibus mature perpensis, quaestionem de generali ac systematica rubricarum Breviarii ac Missalis emendationem aggrediendam esse censuit, eamque peculiari illae commisit vivorum peritorum Commissioni, cui generalis instaurationis liturgicae studia demandata fuerant.

Nos autem, postquam, adspirante Deo, Concilium Oecumenicum coadunandum esse decrevimus, quid circa huiusmodi Praedecessoris Nostri inceptum agendum foret, haud semel recogitavimus. Re itaque diu ac mature examinata, in sententiam devenimus, altiora principia, generalem liturgicam instaurationem respicientia, in proximo Concilio Oecumenico Patribus esse

proponenda; memoratam vero rubricarum Breviarii ac Missalis emendationem non esse protrahendam.

Harum itaque rubricarum Breviarii ac Missalis romani corpus, a peritis viris S. Rituum Congregationis praeparatum et a praefata Pontificia Commissione pro generali liturgica instauratione diligenter revisum, Nos ipsi, motu proprio et certa scientia, Apostolica Nostra Auctoritate, probandum censuimus, sequentia decernentes:

1o.—Novum rubricarum Breviarii ac Missalis romani codicem, per tres partes digestum, scilicet: *Rubricae generales*, *Rubricae generales Breviarii romani*, et *Rubricae generales Missalis romani*, una cum *Calendario Breviarii et Missalis romani*, a Sacra Nostra Rituum Congregatione mox evulgandum, inde a die 1 ianuarii proximi anni 1961, ab omnibus qui ritum romanum sequuntur, servandum esse praecipimus. Qui vero alium ritum latinum observant, quamprimum sive novo rubricarum codici, sive Calendario se conformare tenentur, in iis omnibus, quae illi ritui stricte propria non sunt.

2o.—Eodem die 1 ianuarii anni 1961 vigere cessant *Rubricae generales* Breviarii et Missalis romani, necnon *Additiones et Variationes* in rubricis Breviarii et Missalis romani, ad normam Bullae Praedecessoris Nostri S. Pii X *Divino afflatu*, quae hucusque his libris praepositae habentur. Pariter vigere cessat Decretum generale S.R.C. diei 23 martii anni 1955 *De rubricis ad simpliciores formam redigendis*, in hac nova rubricarum redactione assumptum. Abrogantur denique eiusdem S. Congregationis decreta et ad dubia responsiones, quae cum nova hac rubricarum forma non conveniunt.

3o.—Item statuta, privilegia, indulta et consuetudines cuiuscumque generis, etiam saecularia et immemorabilia, immo specialissima atque individua mentione digna, quae his rubricis obstant, revocantur.

4o.—Librorum liturgicorum editores, rite a S. Sede approbati et admissi, novas parare possunt editiones Breviarii et Missalis romani, iuxta novum rubricarum codicem dispositas; ad necessariam vero novarum editionum uniformitatem praecavendam, S. Rituum Congregatio peculiare tradat instructiones.

5o.—In novis Breviarii vel Missalis romani editionibus, omissis rubricarum textibus de quibus n. 2, novarum rubricarum textus praeponantur, Breviario quidem *Rubricae generales* et *Rubricae generales Breviarii romani*; Missali autem item *Rubricae generales* et *Rubricae generales Missalis romani*.

60.—Omnes denique ad quos spectat quamprimum Calendaria et Propria, sive dioecesana sive religiosa, ad normam et mentem novae redactionis rubricarum et Calendarii conformari curent, a S. Rituum Congregatione approbanda.

His itaque firmiter statutis, muneri Nostro Apostolico consentaneum ducimus, nonnulla addere hortamenta.

Nova sane hac rubricarum dispositione, dum ex una parte universus rubricarum Breviarii et Missalis romani instructus in meliorem formam est redactus, clariore ordine digestus et in unicum textum contractus, ex altera parte aliquae quoque introductae sunt peculiare modificationes, quibus Officium divinum paulisper contrahitur. Hoc siquidem quamplurimum Episcoporum erat in votis, intuitu praesertim multorum sacerdotum, qui in dies magis magisque pastoralibus sollicitudinibus onerantur. Hos autem et omnes qui Officio divino persolvendo tenentur, paterno hortamur animo, ut si quid in eodem divino Officio breviiatur, hoc maiore diligentia ac devotione compensetur. Cum porro lectio quoque sanctorum Patrum aliquantis per quandoque minuatur, omnes enixe clericos hortamur, ut volumina Patrum, tanta sapientia ac pietate referta, assidue prae manibus legenda ac meditanda teneant.

Quae autem per Nostras has Litteras, motu proprio datas, decrevimus ac statuimus, rata atque firma sunt, contrariis quibuslibet minime obstantibus, peculiarissima quoque et individua mentione dignis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 25 mensis iulii, anno 1960, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PP. XXIII

(L'OSSERVATORE ROMANO, 28 iulii, 1960)

CURIAS DIOCESANAS

COMMISSION OF BISHOPS FOR THE INTERPRETATION
OF THE DECREES OF THE PLENARY COUNCIL.

DECREES 275 AND 464.

25. *Dubium*: Is the use of the "*Manuale Parochorum*" obligatory in the Philippines?

Answer: Affirmative.

DECREES 594 AND 597.

26. *Dubium*: Which is the official text of Catechism in the Philippines?

Answer: The text prepared by the Episcopal Commission on the Catechism Text, whose title is "Catholic Catechism."

27. *Dubium*: How can Decree 594: . . . "enixe commendat" agree with Decree 597: . . . "eo tantum catechismo uti officiali utantur"? Is there a strict precept, or mere recommendation?

Answer: The sense of the Council is that there is a strict precept, which, however, must be understood in accordance with the answer to *Dubium* No. 28.

28. *Dubium*: When will this precept begin to be in force, after five years, or after the printing of the Official Catechism and of its translations?

Answer: The obligation begins to be enforced after five years from the promulgation of the Council, if the official text is already printed. If it is not yet printed, as is the case with the Catechism for High School, the obligation is suspended until the printing of the text. No one can fulfill the obligation if there is no text available.

29. *Dubium*: What censorship is required for printing the official text with explanatory notes?

Answer: Let Canon 1385, 2, of the Code together with the second paragraph of Decree 595 of the Council be followed.

ARCHDIOCESE OF CEBU

Cebu City, Philippines

NEW APPOINTMENTS RELEASED FROM THE ARCHDIOCESAN CHANCERY OF CEBU:

- Very Rev. Geminiano Singson, as Vicar Forane and Parish Priest of Badian, Cebu
- Rev. Francisco Boltron, as Parish Priest of Ginatilan, Cebu, and School Director of the HOLY TRINITY ACADEMY in Ginatilan
- Rev. Mariano Gerali, as Parish Priest of San Sebastian, Bato, Samboan
- Rev. Juan Ruiz, Jr., as Parish Priest of Mantalongon, Dalaguete, Cebu
- Rev. Gregorio Montecillo, as Parish Priest of Argao, Cebu
- Rev. Dionisio La Rosa, as Parish Priest of Simala, Sibonga, Cebu
- Rev. Jorge Kintanar, as Parish Priest of San Fernando, Cebu
- Rev. Ceferino Cana, as Parish Priest of Naga, Cebu
- Rev. Nicolas Navarro, as Parish Priest of Minglanilla, Cebu
- Rev. Jose Motus, as Parish Priest of Lilo-an, Cebu
- Rev. Filomeno Singson, as Parish Priest of Catmon, Cebu
- Rev. Jose Branzuela, as Parish Priest of Daanbantayan, Cebu
- Rev. Manuel Perez, as Parish Priest of San Remigio, Cebu
- Rev. Tomas Villamor, as Parish Priest of Bantayan, Cebu
- Rev. Petronilo Urot, as Coadjutor of the Cebu Metropolitan Cathedral, Cebu City
- Rev. Rafael Macasero, as Coadjutor of San Nicolas Cebu City
- Rev. Alberto Belarmino, as School Director of the NOTRE DAME ACADEMY in San Fernando, Cebu

REV. MANUEL S. SALVADOR
Archdiocesan Chancellor

DE OBLIGATIONE FIDEI PER ORBEM PROPAGANDAE

ANNO 1959 Christifideles Insularum Philippinarum missionalem annum peregerunt, atque Summus Pontifex, die 6 Decembris eiusdem anni, occasione Tridui Manilae celebrati, ipsorum conamina enixe commendavit. "Nihil sane Nobis auditu suavius est, ait Summus Pontifex, quam cum percipimus fervere studia... ut sacrae expeditiones Christi Regni amplificandi causa foveantur, et ad ampliora provehantur incrementa."

"Volumus hac in re, pergit Sanctitas Sua, nulli esse secundos: quare, si ita pie et liberaliter egeritis, meritum vestrorum augebitis certa ac patriam vestram coram Deo et Ecclesia circumfundetis claro honoris nitore." (A.A.S., Jan. 1960, p. 5152). 52).

Quapropter ut spiritus missionalis apud clerum magis magisque augeatur, obligationem fidei per orbem propagandae breviter hic elucidare conamur.

§ 1. DE ROMANO PONTIFICE ET EPISCOPIS IN GENERE

1) COMMUNI OBLIGATIONE iuris divini tenentur Romanus Pontifex et Episcopi ad fidem catholicam ubique propagandam: Ex natura sua enim doctrina Christi, qua bonum maximum hominibus, ad hoc tendit ut propageetur. Subministratio autem veritatis evangelicae a Christo Domino commissa est collegio Apostolorum eorumque successoribus, Romano scilicet Pontifici et Episcopis. Hinc ex iure divino, in officio Primatus S. Pontificis et Episcopatus, continetur obligatio fidem christianam propagandi.

Christi quoque speciale mandatum de praedicando evangelio ubique terrarum non tantum S. Petro, sed, uti legitur in Evangeliiis Matth. 28, 16 ss. et Marc. 16, 14 ss., universo collegio undecim Apostolorum "in solidum" denuntiatur fuit. Ideo hoc praecepto divino directe astringuntur omnes, qui in munus Apostolorum succedunt.

In litteris encyclis "Rerum Ecclesiae" 28 februarii 1926, Pius XI Episcopus universi orbis catholici sequentibus verbis alloquitur: "Num vos, Venerabiles Fratres, (eiusmodi officium detrectare) possitis, qui, pro vestra cuiusque parte, christiano clero et populo, sacerdotii plenitudine insignes, divinitus praeestis? Legimus quidem non uni Petro, cuius Cathedram obtinemus, sed omnibus Apostolis, quorum vos in locum successistis, Iesum-Christum praecepisse: Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae: unde liquet propagandae fidei curam ita ad Vos pertinere, ut in laborum societatem Nobiscum venire Nobisque hac in re adesse, quantum singularis ac propria vestri perfunctio muneris sinit, sine ulla dubitatione debeatis."¹

2) OBLIGATIO PRAEDICATORES SEU MISSIONARIOS MITTENDI atque vocationes apostolicas suscitandi necessario continetur in obligatione fidei propagandae, quae Romano Pontifici et Episcopis incumbit, quasi medium necessarium ut obligatio divinitus imposita rite adimpleri possit. Minime tamen inde inferre licet, singulos Episcopos ad libitum ubicumque terrarum missiones instituere posse. Etsi Episcopi ex divina institutione Ecclesiae gubernationem participant, potestatem suam non explent nisi "sub auctoritate Romani Pontificis" et dependenter ab ipso (can. 329, par. 1). Sicut Romanus Pontifex, ut res in Ecclesia debito ordine ad bonum commune peragantur, usum iuris divini apud Episcopos circumscribere et determinare potest, sic etiam definire et coarctare valet eorum potestatem divinam ad missiones instituendas.²

§ 2. DE ROMANO PONTIFICE IN SPECIE.

1) LICET PRIMATUS Summi Pontificis necnon episcopatus in Ecclesia aequali modo sint iuris divini, tamen non eundem ambitum potestatis et obligationis continent; quod valet etiam de iure et officio ad missiones instituendas.

"Summus Pontifex, legitime electus, statim ab accepta electione obtinet, iure divino, plenam supremae iurisdictionis potestatem" (can. 219) "in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad

¹ A.A.S., 1926, pp. 68-69.

² Cfr. Litterae S.C.F.P., 20 febr. 1951, ad Exc. Dom. Mgr. L. Kerkhofs, episcopum Leodiensem, de actione missionali dioecesium (Comm. pro Rel. et Miss., vol. 33, 1952, p. 8).

fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent" (can. 218, par. 1). Haec potestas est "ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis humana auctoritate independens" (can. 218, par. 2). Quapropter sicut penes ipsum est summum ius et summa obligatio quoad omnia negotia ecclesiastica, ita etiam quoad opus fidei ubique terrarum propagandae.

Haec negotia missionum directe respiciunt acatholicos, quibus fides christiana est praedicanda; indirecte vero ipsos fideles catholicos, ex quorum gremio adminicula, personae scilicet et opes, praeparari debent ad dilatandum evangelium necessaria. Igitur Romanus Pontifex, ex iure divino, est primus ac supremus promotor, tum eorum quae in terris missionum pro salute acatholicorum fiunt, tum eorum quae in regionibus catholicis, in dioecesibus hierarchice constitutis, in favorem missionis peraguntur. — Officio suo apostolico perfungitur partim personaliter, partim per alios. In Curia Romana constituitur imprimis S. Congregatio de Propaganda Fide, quae ex institutione ecclesiastica supremam et universalem potestatem Summi Pontificis participat; in terris missionum, constituuntur a S. Congreg. de Prop. Fide, Vicarii et Praefecti Apostolici necnon Delegati vel Nuntii seu Internuntii Apostolici. Hoc modo, praeter Romanum Pontificem, cui ex iure divino potestas et obligatio incumbunt, etiam ex iure ecclesiastico seu pontificio, nova constituuntur organa operis missionalis tam universalialia quam regionalia.

2) AD TERRITORUM quod spectat: a) Ius Romani Pontificis nullis limitibus circumscribitur atque, extra dioeceses hierarchice constitutas, "universa missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicae unice reservatur" (can. 1350, par. 2) — Ceterae missiones, quae intra dioeceses existunt, immediate subsunt Episcopis dioecesanis qui in suis dioecesibus, attento can. 1350, par. 1, acatholicos commendatos sibi in Domino habent, sub auctoritate tamen Romani Pontificis (can. 329, par. 1).

b) Sicut ius, ita etiam obligatio Romani Pontificis limitibus caret. Hinc tenetur Summus Pontifex, per se vel per alios invigilare, ut omnibus acatholicis, maxime infidelibus, sive degunt in dioecesibus sive extra illas vivunt, quoad fieri potest, genuina Christi doctrina proponatur. Quod tamen diverso modo praestare consuevit. Extra dioeceses nempe, seu in territoriis missionum S. Sedi reservatis, R. Pontifex hoc officio fungitur per proprios suos mandatarios, qui eius nomine, tanquam Delegati, Vicarii aut Praefecti Apostolici, partes definitas terri-

torii regunt.¹—Intra dioeceses vero hierarchice constitutas, hoc munus practice relinquit Episcopis dioecesanis, etsi sibi reservat non tantum necessariam vigilantiam, sed etiam ius plenissimum, data necessitate vel opportunitate, territorium acatholicorum etsi intra dioecesim situm, sibi ipsi in regimen penitus assumendi, atque per Vicarios vel Praefectos Apostolicos directe administrandi.²

§ 3. DE EPISCOPIS DIOECESANIS IN SPECIE

1) IN PROPRIIS DIOECESIBUS tenentur Episcopi de acatholicis, qui intra ipsorum territorium degunt, aliquo modo curam gerere: quae obligatio tum e iure ecclesiastico tum e iure divino exoritur.

a) IURE ECCLESIASTICO, canone 1350, par. 1, decernitur: "Ordinarii locorum et parochi acatholicos in suis dioecesis et paroeciis degentes, commendatos sibi in Domino habeant." Qui textus non agit de missione formaliter instituenda, sed verbis solummodo generalibus principium statuit, ut Ordinarii locorum praeter fideles sibi directe commissos etiam acatholicis prospiciant. Ad modum et formam quod attinet, Ordinariorum arbitrio committitur quamvis ratione pro opportunitate locorum et temporum, saluti acatholicorum consulere velint, sive solis precibus fuis sive mediis quoque externis, sive directe sive indirecte, sive occasionaliter tantum, sive institutione stabili missionis systematice peragenda. Conceptio quod Ordinariis dioecesanis universi orbis lex imposita est, tum Ordinariis Iaponiae, Indiae, Americae Latinae et Insularum Philippinarum, tum Ordi-

¹ Cfr. Instruct. S. Congr. de Prop. Fide, 8 dec. 1929: A.A.S., XXII, 1930, pp. 111 ss.

² Constitutione "Quae mari sinico" 17 sept. 1902, mandavit Leo XIII ut in dioecesis Insularum Philippinarum, ubi agrestes adhuc gentes occurrunt immani idolorum cultui addictae, stationes missionales fundarentur quae "sic erunt ordinandae, ut deinde opportuno tempore ad Praefecturas vel Vicariatus Apostolicos evehi queant." (Acta et Decreta Concilii Provincialis Manilani I, Romae, 1910, p. XX).—Inde factum est ut die 10 aprilis 1910, S. Sedes insulam Palawanam, a Cebuana dioecesi avulsam, in praefecturam apostolicam constituerit; atque die 15 iulii 1932 similiter praefecturam "Montanam", a dioecesi Novae Segoviae separatam, in praefecturam apostolicam erigendam mandaverit (A.A.S., II, 1910, p. 290; XXV, 1933, p. 206).—Anno 1953 constituta fuit nova Praefectura Iae Sulu (S. Congr. Consist., decretum 28 oct. 1953: A.A.S., 1954, pp. 66-67); quae ad dignitatem Vicariatus Apostolici evecta est, 22 iulii 1958 (A.A.S., 1959, p. 319).

nariis Europae aliarumque regionum, qui non eandem formam acatholicos convertendi ubique applicare possunt.¹

Tempore anteriore codici iuris canonici varia de hac re edita sunt documenta. Leo XIII, constitutione "Quae mari sinico," 17 sept. 1902, ad c. X, praescripsit: "Ubi igitur agrestes adhuc gentes occurrunt immani idolorum cultui addictae, sciant Episcopi et Sacerdotes teneri ad earum conversionem curandam."² —De Indianis statuit Concilium plenarium Americae Latinae, Romae habitum a. 1898: "Neque Episcopi neque parochi, qui in propriae iurisdictionis territorio existere sciunt Indos nondum ad fidem conversos, proprio pastoralis officio satisfacerent, si solis fidelibus intenti, illos ab infidelitatis tenebris eruere et ad Christum vocare non studerent."³

b) IURE DIVINO, munus Episcoporum est continuatio muneris Apostolici, ac propterea secum fert officium prospiciendi conversioni etiam acatholicorum. "Unusquisque Episcopus, scribit Wernz, in sua dioecesi, in qua sunt infideles, haeretici, schismatici, inde a primis temporibus Ecclesiae usque ad nostram aetatem tanquam verus successor Apostolorum constitutus est missionarius apostolicus ex officio, ad illorum conversionem et fidei catholicae propagationem perficiendam."⁴

Ex his colligitur: 1) Episcopi dioecesani, intra fines suarum diocesium, nulla indigent delegatione pontificia, ad instituendas missiones ope clericorum sive saecularium sive religiosorum; — 2) in hac re procedere debent proprio motu, quin expectent praescriptum Sedis Apostolicae; — 3) Episcopi, iure ordinario, competentes sunt ad haereticos et schismaticos in gremium Ecclesiae suscipiendos (can. 2314, par. 2).⁵

2) QUOAD MISSIONES EXTERAS, universaliter consideratas, iuxta disciplinam ecclesiasticam vigentem, singuli Episcopi dioecesani ordinariam iurisdictionem non exercent extra proprias suas dioeceses. In iis igitur quae de missionibus ordinanda sunt extra limites dioecesis propriae, nullus Episcopus actu iurisdictionali intervenire potest.

Intra dioecesim propriam possunt ac vera obligatione obstringuntur Episcopi favere missionibus apostolicis ad externos, excitando et fovendo vocationes missionales, necnon efficiendo ut

¹ Grentup, Ius missionarium, I, p. 82. Steyl Hollandiae, 1925.

² Acta et decreta Concilii Provincialis Manilani I, p. XX.

³ Editio Romae 1902, tom. I, n. 771.

⁴ Wernz, Ius decretalium, III, 2 ed., 1908, n. 52.

⁵ Cfr. S. Congr. Officii, 19 febr. 1916; A.A.S., 1916, p. 61.

fideles ipsis commissi in favorem missionum eleemosynas conferant atque orationibus suis auxilium divinum impetrent; quod duplici ratione probatur:

a) **MUNUS EPISCOPALE** natura sua specialem induit relationem ad fidem propagandam. Episcopatus enim universim spectatus in locum successit et munus accepit "collegii Apostolorum", quibus "in solidum" Christus mandavit de evangelio ubique terrarum praedicando quod sequenti modo illustrari potest: Licet singuli Episcopi intra propriam tantum dioecesim munus docendi authentice exercent, nihilominus in orbe universo, donum infallibilitatis, divinitus collatum, "Episcoporum collegio" inhaeret. Similiter dicendum est de obligatione Evangelium propagandi: Etsi singuli Episcopi extra territorium proprium iurisdictionem ordinario modo non exercent, nequit tamen "collegium Episcoporum" abdicare officium fidem in universo mundo propagandi, quod a divino Salvatore acceptum, muneri episcopali inseparabiliter inhaeret.

Leo XIII, in epistola encyclica "Sancta Dei civitas", 3 dec. 1880, Episcopos alloquitur: "Vos igitur, Venerabiles Fratres, in partem sollicitudinis Nostrae vocatos, etiam atque etiam hortamur, ut concordibus animis Apostolicas missiones sedulo vehementerque adjuvare Nobiscum studeatis", eosque invitatur ut sacris missionibus praesidia suppetant, piorum nempe hominum cum preces tum eleemosynas.¹

Eandem doctrinam modo magis aperto proposuit Pius XI, in suis litteris encyclicis "Rerum Ecclesiae" 28 febr. 1926.²

b) **STRICTUM PRAECEPTUM**, quod Benedictus XV, in sua Epistola Apostolica "Maximum illud" 30 nov.: 1919, modo adhuc generali inculcavit, ut Episcopi dioecesani spiritum missionum fidelium et cleri animis inculcarent, Pius XI, in litteris encyclicis "Rerum Ecclesiae" 28 febr. 1926, modo magis perspicuo Episcopis stricte iniunxit, signanter quod spectat ad vocationes missionales fovendas et multiplicandas.

—Benedictus XV, sub finem Epistolae suae Apostolicae dixit: "Sed quod certius uberiusque optata nostra eveniant, debetis omnino, venerabiles Fratres, vestri cleri disciplinam peculiari modo ad Missiones dirigere. Vulgo enim fideles ad opitulandum hominibus apostolicis inclinant et propendent vosque

¹ Cfr. Nouv. Rev. théol., XII, 1881, pp. 6-7 (Collect. S.C.P.F., II, n. 1543).

² A.A.S., 1926, pp. 68-69.

hæc animorum propensione sapienter utamini, ut quam maxime Missionibus sint emolumento.”¹

3) DE VOCATIONIBUS MISSIONALIBUS promovendis et suscitandis in eadem Epistola Apostolica Benedictus XV Episcopos iam monuerat: “Missionalium paucitati medendum est... in quo vestram præcipue, venerabiles Fratres, advocatam desideramus diligentiam; vosque rem facturi estis vestro religionis amore in primis dignam si et in clero et in Seminario dioecesano apostolatus semina, quæ quis forte sibi inesse ostenderit, studiose foveatis. Nec vos ulla species recti decipiat aut humana aliqua ratio promoveat, quasi, quod exteris Missionibus permiseritis, id de utilitate dioecesis vestrae detraxisse videamini. In locum enim unius quem dimiseritis foras, plures domi sacerdotes perutiles Deus vobis suscitabit.”²

—Pius XI, in litteris encyclicis “Rerum Ecclesiae”, de vocationibus missionalibus promovendis paterne præcipit: “. . . eo concordēs Episcoporum catholicorum omnium conatus ferri oportet, ut sacrorum legatorum numerus augeatur ut multiplicetur. Si qui igitur in dioecesi cuiusque vestra aut adolescentes aut clerici aut sacerdotes ad apostolatū eiusmodi præcellentissimum vocati divinitus videantur, propensis eorum consiliis studiisque gratia et auctoritas vestra obsecundet, nedum aliquo pacto obsistatis. Liceat quidem vobis, animo integro, probare spiritus si ex Deo sint; at si saluberrimum propositum Deo auctore haberi coepisse et maturescere iudicaveritis, iam nulla vos aut *cleri penuria aut dioecesis necessitas exanimet* atque ab consentiendo detineat. . . Data vero eius rei occasione, æquo animo, ob Christi animarumque caritatem, alicuius e clero iacturam faciatis, si quidem iactura dicenda est; quem enim amiseritis adiutorem laborumque vestrorum socium, eundem vel copiosiore gratiarum in dioecesim effusione vel aliis excitatis sacri ministerii tironibus, divinus Ecclesiae Conditor profecto supplebit.”³ Quod ultimum in quibusdam dioecesibus manifesta experientia publice comprobatur.

(Subsequetur pars de obligatione cleri et christifidelium quod attinet ad obligationem fidei propagandæ.)

G. VROMANT, C.I.C.M.
Seminarium Sancti Caroli

¹ A.A.S., 1919, p. 454.

² A.A.S., 1919, p. 452.

³ A.A.S., 1926, pp. 70-71.

SECCIÓN HISTÓRICA

RELIGIOUS LIFE OF THE LAITY IN EIGHTEENTH CENTURY PHILIPPINES

AS REFLECTED IN THE DECREES OF THE COUNCIL OF MANILA OF 1771
AND THE SYNOD OF CALASIAO OF 1773

(Continued)

CHAPTER III

SACRAMENTAL LIFE

ABOUT the mid-seventeenth century, a Dominican priest wrote that the Filipino women were very devout and composed, frequented the sacraments with great fervor, and that there was no feast, great or small, on which there was not a large number of confessions and communions. He ended his comment thus: "I said often that the fervor of the old [Christians] of Castilla had passed to the Indians (both men and women) of Manila."¹

In the next century, the Council of Manila and the Synod of Calasiao did not suggest a similar appraisal. The decrees indicated rather the urgent need for spiritual revival. Rightly was there much stress given to the sacraments as the regenerating force in the religious life of the laity.

This chapter deals mainly with the external manifestations of the sacramental life of the laity, although these manifestations necessarily throw light to a certain extent, at least, on the spiritual life of the people as nourished by the sacraments. The decrees of the Council and of the Synod which the writer used as reference reflect the provisions and efforts of the Church to foster the sacramental life of the people on the one hand, and the response of the laity as seen in their actual practices and attitudes, on the other.

¹ Domingo Fernández Navarreto, O.P., *Tratados Históricos, Políticos, Éticos, y Religiosos de la Monarquía de China* (Madrid: Imprenta Real, 1676), cited in Blair and Robertson, *op. cit.*, XXXVII, 298.

I. BAPTISM AND CONFIRMATION

Time and Ceremonies. The Council provided that a child must be baptized within nine days.² Confirmation was also administered to babies, a practice that has come down to our day. Since the time for the reception of this sacrament, which makes a Christian a soldier of Christ, was dependent on the visit of the bishop to the town, no definite time was prescribed. The Council only mentions that the bishops should see to it that the prayer "Almighty and eternal God Who has deigned to regenerate..." be recited with ardent devotion by those to be confirmed³ or presumably, by the sponsors of the babies. The resolutions of the Synod do not include a special section on confirmation.

The Roman Ritual containing the Ritual of Pope Paul V was to be used in the administration of the sacraments.⁴ Wrong forms of baptism must have crept in and so, parish priests were authoritatively enjoined to follow the form promulgated by the bishop, which should be inserted in the ordinary catechisms.⁵ Parish priests were likewise required to instruct midwives and other pious persons on the right way of administering baptism in case of necessity.⁶ Great care was taken that no child died without baptism.

Names and Sponsors. Among the early Filipinos, it was the mother's duty to give the newly-born child a name. This was mostly chosen because of the circumstances attending the birth of the child such as what Chirino writes:

... besides the Christian name, Juan or Pedro, they use a surname—that which the mother gives them at birth—although there are mothers so Christian and civilized that they do not use this latter name, but prefer that both Christian name and surname be conferred in Baptism; this we often do.⁷

By the eighteenth century, the names of the natives were changed at will by the sponsors, a practice that naturally brought confusion. The Council commanded the parish priests to urge their parishioners to retain the names of their parents.⁸ Chris-

² AAM, Act V, Tit. I, Decree I.

³ *Ibid.*

⁴ MS, SC-APSR; "On the Sacrament of Baptism".

⁵ AAM, *loc. cit.*; MS, CM-APSR, Act VII, Tit. I, Chap. VII; MS, SC-APSR, *loc. cit.*

⁶ *Ibid.*

⁷ Chirino, *op. cit.*, cited in Blair and Robertson, *op. cit.*, XIII, 202.

⁸ AAM, *loc. cit.*

tian names were corrupted, so that the names of saints, whose virtues the child was supposed to imitate, were made strangely ridiculous.⁹

Sponsorship in baptism and confirmation brought about new spiritual and social relationships in Filipino society and this factor played an important role in the life of the laity. The external realities in their sacramental life were not seldom subordinated to the influence of the sponsor or to the desire of having more and better *compadres*. The Council hinted at two causes of the deferment of baptism of infants — the godparents and festivities on such an occasion. After providing for the baptism of a child within nine days, the decree adds that the “parish must beware lest, on the occasion of sponsoring an infant, youth from other towns pass the night in the house of the infant or indulge in drinking and dancing.”¹⁰

The Church authorities were aware that many lay people did not understand the obligations of godparents.¹¹ The Council therefore decreed:

...the Provincial Synod commands parish priests not to admit would-be sponsors without any screening, but to admit only those that they may pick out from a definite group of both sexes. They (sponsors) must be men of sound moral life, well instructed in Christian doctrine and capable of teaching their children the way of life. If anyone of the designated group wishes to be admitted as sponsor, he must first be examined properly about the Christian doctrine. Men of evil life and those living in another town must be excluded from becoming sponsors.¹²

Practically all the children born to Christian Filipinos of the eighteenth century were baptized and confirmed, named after saints, and had each one or more sponsors who pledged to see that the child would keep the Faith and lead a Christian life. But did they think and live up to their sublime dignity?

II. PENANCE AND HOLY EUCHARIST

The decrees of the Council of Manila pertaining to the sacraments of penance and Holy Eucharist indicate the mind of the Church regarding the preponderant role of these channels

⁹ *Ibid.*

¹⁰ *Ibid.*

¹¹ MS, CM-APSR, Act VII, Tit. I, Chap. VI.

¹² AAM, *loc. cit.*

of grace in the program of energizing the life of the Mystical Body in the Philippines. The Council failed to have its canonical force. To make sure that the clergy and the laity be not deprived of the injunctions contained in its decrees, Archbishop Sancho, on August 21, 1776 issued a Pastoral Letter on the necessity and utility of the Sacraments of Penance and Holy Communion, and the obligation of the faithful to receive them.¹³ It was addressed to all those under his charge, especially the natives and the mestizos.

Administration of the sacrament of penance. The decree of the Council on the Sacrament of Penance begins thus:

Since the reform of the people depends much on the proper selection of confessors, the Provincial Synod strongly urges bishops to pay great attention to the choice of priests who are to take care of souls.¹⁴

This seems to give the general opinion of the time. As further evidence, in 1774, Archbishop Sancho wrote a scholarly Pastoral Letter of 457 paragraphs in 269 pages to the confessors.¹⁵ The often-quoted draft of the Acts of the Council devoted eight chapters to confession.

Father Tamayo, commenting on the provisions of the Council regarding the Sacrament of Penance, says that it decreed wise prescriptions, some of which were pretty rigorous,¹⁶ and thus reflected the tide of rigorism in the Church during that period. An example follows:

The Provincial Synod hereby strongly reprimands the custom of those [confessors] who hear one hundred or more confessions in one day. It therefore declares that no priest can in good conscience hear forty confessions in one day, even if he sits at the confessional for full seven hours. Whoever performs this divine work in haste or in laziness should be severely punished upon the discretion of the bishop.¹⁷

Only the learned and experienced priests should be assigned by the bishops to hear the confessions of lawyers, merchants and the like.¹⁸ Young priests should not have the faculty of hearing

¹³ Basilio Sancho de Santa Justa y Rufina, *Carta Pastoral sobre la Necesidad y Utilidad de los Sacramentos de Penitencia, y Comunión y la Obligación que Tienen los Fieles de Recibirlos por Precepto de la Iglesia* (Manila, Imprenta del Seminario Eclesiástico, 1776).

¹⁴ AAM, Act V, Tit. I, Decree III.

¹⁵ W. E. Retana, *Aparato*, I, 386.

¹⁶ Tamayo, *op. cit.*, p. 79

¹⁷ AAM, *loc. cit.*

¹⁸ *Ibid.*

the confessions of women. The Council likewise commanded that no confessor should hear the confessions of women outside the confessional, unless the penitents were sick; likewise, not before sunrise nor after sunset, except in cases of extreme necessity. Confessional boxes had to be built with double bars, at a distance of not less than four inches each and the holes had to be so small that the smallest finger could not pass through them.¹⁹

An index of cases when absolution was to be denied is rather telling. We read:

Confessors shall, therefore, deny absolution to (1) Those who come unprepared, without careful examination of conscience. (2) Those who come with extravagant dress or indecent apparel, or with weapons (Advice of St. Charles to confessors). (3) Those who are habitual sinners in whatever type of misdeeds, for they are, or stay in the proximate occasion of sin. (4) Those who are ignorant of the Christian doctrine, . . . (Bull *Etsi Minime* of Benedict XIV). (5) Parents who do not teach religion to their children and house servants nor give them remuneration for their work. (6) Gamblers and addicts of card games. (7) Married couples separated without lawful permission. (8) Drunkards and other recidivists, principally those who neglect Sunday obligations and violators of the precepts of the Church. (9) Those who keep the goods of others cannot be absolved until they have returned them to their rightful owners, even if they swear to restore the goods. (10) Detractors, until they have restored the honor of the offended. (11) Those estranged by mutual hatred, until they are reconciled. (12) Those that have inflicted some harm, until they have made amends to the injured. (13) Those who have oppressed others, and do not pay in return. (14) Those who know a certain crime but would not disclose it to whom they ought to.²⁰

